

1232.

[m. 4.]

*De conductu ducis de Lemburg.*—Henricus dux de Lemburg habet literas de conductu pro se et suis in veniendo in Angliam ad visitandum limina Beati Thome Martiris, duraturas usque ad festum Omnium Sanctorum.

[m. 3.]

*De castro de Sweinese.*—Rex, defuncto nuper Johanne de Braosa qui nuper apud Bremble in comitatu Sussexie diem clausit extremum, castrum et honorem de Sweinese commisit Philippo le Bret custodienda quamdiu regi placuerit. Et mandatur constabulario de Sweynese quod predictum castrum et honorem sine dilatione ei liberet, sicut predictum est; ita quod per dilationem vel defectum sui regi et terre sue dampnum non eveniat, pro quo rex ad eum se graviter capere debeat. In cujus etc. Teste rege, apud Lamheth, xvj die Julii.

Eidem constabulario mandatum est quod nisi reddere voluerit, veniat ad regem cum eo locuturus.

Et mandatum est militibus, liberis hominibus et omnibus aliis tenentibus de eodem honore, quod ipsi Philippo tamquam custodi suo sint intendentes et respondententes. Teste ut supra.

*De castro de Rokingham.*—Rex commisit Willelmo de Ralegh castrum de Rokingham cum pertinenciis, custodiendum tota vita sua. In cujus etc. Teste ut supra.

*Pro monialibus de Fonte Ebroidi.*—Rex H. de Trublewill, senescallo Wasconie, salutem. Intimatum est nobis ex parte abbatisse et monialium de Fonte Ebroidi quod, cum tempore domini J. regis patris nostri et nostro percipere consuevissent singulis annis in Insula de Oleron c et xxx libras Pictaviensium usque ad tempus quo comes Marchie insulam illam occupavit, et ipse dictum redditum a vobis exigant eo quod prefata insula devenit in manum nostram, vos eundem redditum eis reddere contradicitis; et quia nullo modo volumus quod elemosina a predecessoribus nostris concessa et statuta cadat tempore nostro, vobis mandamus quod dictum redditum eis habere faciatis, sicut habere consueverunt antequam predictus comes memoratam insulam occupaverat. Mandamus etiam vobis quod res et catalla sua in ballia vestra manuteneatis et custodiatis cum omnibus libertatibus et liberis consuetudinibus quas temporibus predecessorum nostrorum usque ad tempus nostrum habere consueverunt; ita quod in hoc vel aliis eis non sitis graves vel molesti. In cujus etc. Teste me ipso, apud Lamheth, xvj die Julii.

*De jocalibus receptis a domo Templi Londonie et domo Hospitalis similiter.*—Rex recepit apud Lamheth die Jovis proxima ante festum Sancti Kenelmi anno etc. xvj per manus fratris Radulfi de Seueke-worth, preceptoris Novi Templi Londonie, et fratris Hugonis de Stocton, templarii, vessellam nostram et alia jocalia nostra que deposuimus in domo Novi Templi Londonie in tenantia pro tribus milibus marcis, in quibus tenebamur dilecto et fideli nostro P. duci Britannie et comitis Richemundie, et quas ipsi duci reddidimus. In cujus etc. fieri fecimus. Teste ut supra.